

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

Vaticinivm XXIIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

ADNOTATIONES

ris acumen expolire, inscriptionem subijciemus, quæ ita in eo legitur.

Cultori vineæ de infructuosa arbore dicitur, Succide eâ, ut quid terram occupat? qui in illo loco potes ponere, quæ habet fructum. Hæc autem non habet occasionem operationis, & impedimentum præstat cæteris, quia quæcunque sub ipsa sunt, exemplo prauitatis illius, quasi umbra peruersitatis eius premuntur, & ideo peccatores super alios peccatores dominari constituit. Tu autem morieris ut canis in R. Et supra Pontificis caput, hæc verba ponuntur. Coronabitur in R, Infra caput verò hæc literæ capitales sunt, B. B. A.

Hac exprimi Martinum V. Scaliger ait. Rotæ fabricatores quidam Gregorium XIII. ijq; ex eorum numero sunt, qui sponsonibus operâ dâtes, lucrum inde expetunt, & fallaci industria conquirunt, nos Iulium Tertium hoc ænigmate descriptum à Propheta, siue Ioachimus, siue Anselmus, aut alius quispiam fuerit, constanter asserimus. Rationes non adducemus, ne longiores, quàm harum adnotationum argumentum, & communis vsus requirit, simus.

VATICINIUM XXIII.

Nillum Vaticanium hoc vno clarius in toto libro habetur, si Beatissimi Pij V. sanctissimæ, & felicissimæ recordationis, vitam, mores, actiones inspexerimus. Quis hoc Pontifice sanctior, quis prudentior, quis voluptatum minus appetentior. Quàm gratus Deo fuerit, testatur reuelatio de victoria aduersus Turcas obtenta, ab eo orante habita, & hoc illud propheticum est, tu pro victoria expandisti manus. Illam quidem paulo ante vitæ finem consecutus, cum ille sexto circiter post mense in cælum translatus sit, & ita bene, & gloriôsè brauium acceperit in
 fine

IN VATICINIA.

sine sceptri, hoc est, paulo ante quàm ex hac vita decederet, & ad æternam, & immortalem euolaret. Volumus dare inscriptionem, quæ in illo nostro manuscripto est: ad hunc itaque modum in eo verba sunt,

Vendentium sacra non cessabunt, & confringetur idolum Danielis, & cœnobita ad locū pristinum redibunt, & ordines mendicantium, & aliæ sectæ plures annihilabuntur, bestia occidentalis, & Leo Orientalis vniuersum mundum subiugabunt, & pax erit in toto orbe terrarum. Tu autem vades in inferiora terræ. Litteræ, quæ infra caput solent esse in his imaginibus, hic litura deletæ sunt, & nisi vnicum C. visui offertur, & superscriptio. Coronabitur in L.

Qui lucro sponsonibus inuigilant, secundo post B. & S. Xistum V. futuro Pontifici hoc vaticinium dant, quid nos sentiamus, in sequenti dicemus. Hoc vnum innuentes, sacrificia vendentium, ad hæreticos referri, idolum, ad Turcas, cœnobita, ad decretum Pij V. de 4. religionibus, de bestia occidentali, & Leone orientali secretiora, hoc tempore à nobis non sine causa, in custodia habenda sunt.

VATICINIUM XXV.

HOc vaticinium in nostro manuscripto exemplari cū superiori ita coniunctum est, vt ad dexteram sit vultus inter duo vexilla, quorum vnum anteriori dextero pede retinet, & ad leuam hæc vrbs cernitur, manibus non supra, sed infra positus, ita vt dimidium vaticinij, vsque ad verbum annihilabuntur, ad Pontificem spectet, cuius in superiori meminimus. Reliquum verò ad Urbem hanc. Licet quædam verba supra eam litura deleta sint, alicuius pueri fortè manu. Essent ea animaduertenda, quæ ad literas inclusas in eo capitales facerent; atramen tanta est illarum in omnibus libris impressis, & manuscriptis corruptio, ut nihil diuinare queamus. Nomina quoque non sunt eadem

K 2 in om-